

## ARTICULUS IV

*Utrum dentur actus indifferentes?*

Dico 1° : Dantur actus indifferentes ex sua specie<sup>1</sup>. Est communis.

*Probat*ur. Actus humani desumunt suam speciem ab objecto moraliter considerato : ita ut qui habent objectum bonum, sint boni; qui malum, mali; qui indifferentes, indifferentes. Atqui sunt actus humani qui habent objectum indifferentes, hoc est, neque præceptum, neque prohibitum a lege, ut levare festucam, ire ad campum, et similia. Ergo.

Major est difficultas de actibus indifferentibus in individuo. Non est quæstio de actibus indeliberatis qui ex imaginatione vel naturæ impulsu procedunt, ut plerumque fricare barbam, manum aut pedem movere; hi enim cum non sint actus humani et morales, defectu libertatis, satis constat non esse neque bonos neque malos moraliter.

Item non est quæstio de indifferentia ad bonitatem et malitiam moralem in ordine supernaturali, sed in ordine naturali tantum. Constat enim dari actus indifferentes, neque bonos, neque malos, neque meritorios, neque demeritorios in ordine supernaturali : sic eleemosyna facta ab infideli aut peccatore ex motivo misericordiæ, quamvis sit bona moraliter in ordine naturali, quia tamen non procedit a gratia, quæ est principium bonitatis et meriti in ordine supernaturali, non est bona neque mala in isto ordine, nec meritoria præmii aut supplicii in isto ordine, quia nullo modo ad illum pertinet. Est ergo quæstio tantum de actibus deliberatis et eorum indifferentia ad bonitatem et malitiam in ordine naturali. Quo sensu

Dico : Nullus est nec esse potest actus indifferentes in

1. Hic q, 18, a, 8, o.

individuo<sup>1</sup>. Est communior cum Authore, contra Scotum, Scotistas et Vasquem.

*Probat*ur ratione fundamentali. Homo, quotiescumque deliberate agit, etiam circa objectum secundum se indifferens, tenetur agere propter finem honestum : quod si faciat, bene agit; si non faciat, male agit. Ergo non datur actus indifferentes in individuo. — *Probat*ur ant. 1° Homo, quoties deliberate agit, tenetur agere ut homo, seu secundum dignitatem et exigentiam naturæ rationalis, et prout distinguitur a brutis. Atqui hoc est agere propter bonum honestum, quod est finis creaturæ rationalis. Ergo. 2° Sicut entia naturalia per naturalem inclinationem dirigitur ab authore naturæ in fines proprios, ita agens liberum et morale, ut est homo, dirigitur per præcepta ad finem sibi proprium, qui est bonum honestum et rationi conforme. Ergo. 3° Apost., I *Cor.*, x, 31, præcipit omnia fieri propter gloriam Dei, id est, propter finem honestum in quo virtualiter implicite includitur gloria Dei. Ergo. 4° Opus quod non dirigitur in finem honestum, est opus otiosum, ideoque malum; quia opus dicitur otiosum, non quod sit ob finem malum, sed quod caret bono et honesto fine, seu, ut dicunt SS. Patres, quod caret utilitate aut necessitate. Ergo. 5° Homo deliberate agens, non potest agere propter bonum delectabile sensibile tamquam propter finem. Ergo tenetur agere propter bonum honestum. — Patet ant. Quia bonum delectabile sensibile est finis brutorum et partis sensitivæ, non creaturæ rationalis.

Quod autem dicunt adversarii, licitum esse agere propter commoditatem et recreationem naturæ, concedimus, si id fiat juxta dictamen rationis. Agere autem propter commoditatem et recreationem naturæ juxta dictamen rectæ rationis, non est quærere delectationem ut finem, sed eam referre ad fines honestos, et consequenter bene agere.

*Obj.* illud tritum S. Hieron., Epist. 89, ad Aug. :

1. Ibid., a, 9, o.

« Bonum est, inquit, continentia, malum est luxuria : inter utrumque indifferens ambulare, digerere alvi stercora, sputis rheumata jacere. Hoc nec bonum est nec malum. » Ergo.

*Resp.* S. Hieronymum loqui de actibus indifferentibus spectatis ex parte objecti, et secundum speciem.

[*Dices* : Nulla species est quæ sub se non contineat, vel continere possit aliquod individuum. Atqui aliquis actus humanus est indifferens secundum suam speciem, ut supra probatum est. Ergo aliquis actus humanus individualis potest esse indifferens.]

*Resp. Dist. maj.* Nulla species est quæ sub se non contineat, vel continere possit aliquod individuum, sed tamen sine abstractione quam habet species, *conc.*; et cum eadem abstractione quam habet species, *nego.* *Dist. etiam min.* Aliquis actus humanus est indifferens secundum suam speciem, hoc sensu quod non habet ex sua specie quod sit bonus vel malus moraliter, *conc.*; hoc sensu quod ex sua specie ita ipsi debeatur quod sit indifferens, ut non possit ordinari ad bonum vel malum morale, *nego.* Et ideo *nego* conseq.

Etenim, ut dicit S. Thomas<sup>1</sup>, « aliquem actum esse indifferentem secundum suam speciem, potest esse multipliciter : Uno modo sic, quod ex sua specie debeatur ei quod sit indifferens; et sic procedit ratio [id est, objectio in minori]. Sed tamen isto modo nullus actus ex sua specie est indifferens; non enim est aliquod objectum humani actus quod non possit ordinari vel ad malum vel ad bonum per finem vel circumstantiam. Alio modo potest dici indifferens ex sua specie, quia non habet ex sua specie quod sit bonus vel malus : unde per aliquid aliud potest fieri bonus vel malus. Sicut homo non habet ex sua specie quod sit albus vel niger, nec tamen habet ex sua specie quod non sit albus aut niger; potest enim

1. *Ibid.*, a. 9, ad 1.

albedo vel nigredo supervenire homini aliunde quam a principiis speciei. »

Require alias objectiones et responsiones ibidem.]

## ARTICULUS V

*Utrum et quomodo voluntas humana, ut sit bona, debeat conformari voluntati divine?*

Suppono voluntatem humanam, ut sit bona, generaliter loquendo, debere esse conformem divinæ voluntati<sup>1</sup>, quia prima bonæ voluntatis humanæ regula et mensura est divina voluntas : primum enim in unoquoque genere est mensura cæterorum illius generis; divina autem voluntas est primum et summum bonum. Sed in quo et quomodo debeat conformari, difficultas est.

Pro cujus elucidatione notandum est, in objecto voluntatis duo esse consideranda : unum quod est quasi materiale, scilicet res ipsa volita; aliud quod est quasi formale, scilicet ipsa ratio volendi, quæ est finis. Conformitas quoad rem volitam dicitur conformitas in volito materiali; et conformitas quoad rationem volendi, dicitur conformitas in volito formali. De utraque procedit quæstio, supposito tamen quod voluntas divina innotescat circa particulare opus; nam, si non innotescit, potest esse bona voluntas absque conformitate, quantum ad istud opus : sic II *Reg.*, vii, 3, David laudatur quod voluerit ædificare domum Domini, quod tamen Deus non volebat.

Tripliciter autem potest nobis innotescere divina voluntas, scilicet per revelationem, per operationem et per præceptum. Hoc ipso enim quod Deus revelat aliquid, aut operatur, sive immediate per se, sive mediantibus causis secundis, vel præcipit fieri, manifestum est id ipsum velle. His notatis et suppositis,

1. Hic q. 19, a. 9, o.

Dico : Voluntas humana, ut recta sit, tenetur conformari divinæ voluntati in voluto formali, non autem in voluto materiali, nisi ejus voluntas innotescat præcepto vel prohibitione<sup>1</sup>. Est communis cum auctore.

*Prob.* prima pars<sup>2</sup>. Volitum formale divinæ voluntatis, seu ejus motivum ut ultima ratio volendi, est bonum commune et divinum, seu bonum commune totius universi, prout ultimate ordinatur ad ipsum Deum et ejus gloriam; omnia enim propter semetipsum fecit Dominus. Atqui voluntas humana, ut recta sit, debet velle quodecumque vult propter bonum commune et divinum, ut ultimum finem. Ergo. — *Prob.* min. 1° Appetitus naturalis cujuslibet partis ordinatur in bonum commune totius. Ergo, a fortiori, quod appetitur ab appetitu rationali, debet referri in bonum commune<sup>3</sup>. 2° Voluntas humana non posset esse recta, nisi quatenus appetit bonum verum et honestum, ut probavimus supra. Atqui, appetendo bonum verum et honestum, virtualiter implicite appetit bonum divinum, cujus bonum honestum est inchoatio et participatio. Ergo.

*Prob.* secunda pars. Eadem res volita quæ est objectum materiale voluntatis, potest sub diversa consideratione esse bona et mala. V. g., mors latronis considerata a iudice ut necessaria bono communi, est bona; considerata ab uxore ut noxia familiæ, est mala. Consequenter voluntas qua judex, cujus est attendere ad bonum commune, vult mortem latronis, est bona, et voluntas qua uxor, cujus est attendere ad bonum familiæ, non vult mortem mariti, est etiam bona; quia voluntas quæ rem non vult sub ratione mali, non est minus bona, quam ea quæ vult rem sub ratione boni. Atqui Deus, ut provisor universalis, attendit in volendo ad rationes universales, quales sunt bonum commune universi, ad quod necesse est esse et conservari contraria, et manifestatio suorum attributorum: secundum quas rationes res a Deo volita

1. *Ibid.*, a. 10, o; q. 23 *de Veritate*, a. 8. — 2. *Ibid.* — 3. *Ibid.*, ad. 1.

est bona, quæ tamen secundum rationes particulares, ad quas homo debet attendere et ad quas Deus vult ipsum attendere, est mala. Ergo voluntas humana, ut sit recta, non tenetur conformari divinæ voluntati in voluto materiali. — Minor clarebit exemplo. Deus, ut supremus totius mundi director et provisor, secundum exigentiam et rationes universales boni communis et suæ gloriæ, vult patrem meum mori in hæresi et damnari. Ista mors et damnatio secundum istas rationes universales considerata, est bona, et ideo bona voluntas quæ illam vult. Ego, privatus homo, cujus non est ad istas rationes universales attendere, sed ad particulares, sive proprii suppositi, secundum inclinationem naturalem quæ bona est a Deo, sive parentis, secundum pietatem, quam, etiam Deo mandante, sectari teneor, nolo istam mortem et damnationem. Ista mors et damnatio, secundum istas rationes particulares considerata, est mala. Ergo bona voluntas, quæ eam non vult; ita ut, quamvis videar ex una parte recedere a voluntate divina, ex alia tamen, sic volendo, conformor indirecte ipsi voluntati divinæ, quia sic me velle Deus ipse vult. Unde Aug., in *Enchirid.*, c. 101, n. 26, ait : « Aliquando bona voluntate homo vult aliquid quod Deus non vult... Tamquam si bonus filius patrem velit vivere, quem Deus bona voluntate vult mori. »

*Confirmatur.* Nemo sanæ mentis dicet, me teneri velle omnia mihi nociva, quæ, Deo volente, mihi accidunt : famem, morbum, conflagrationem domus et horrei, rigorem frigoris, ardorem solis, serpentes, pulices, etc., ut modo dicebam, mortem et damnationem parentum meorum; ita ut mihi non liceat, quantum possum, illa fugere aut contra conari.

Dixi : « Nisi voluntas divina innotescat præcepto vel prohibitione; » quia voluntas Dei præcipiens aut prohibens habet semper annexam voluntatem obligandi hominem ad volendum et agendum quod præcipit, aut non volendum nec agendum quod prohibet : quod non habent aliæ voluntates, sive beneplaciti, sive consilii, sive permissionis.

Pro solutione objectionum contra secundam partem conclusionis, observandum est, volitum materiale posse considerari dupliciter : primo, secundum se et absolute; secundo, formaliter et reduplicative, ut subest volito formali seu fini universali quem Deus intendit. Secunda pars itaque conclusionis intelligenda est de volito materiali secundum se, et attentis rationibus particularibus, non de illo reduplicative, ut subest volito formali et fini universali divinæ voluntatis; hoc enim est ipsi conformari in ipso volito formali.

## ARTICULUS VI

*Utrum actus exterior addat bonitatem vel malitiam actui interiori?*

Non quærimus hic, utrum actus exterior sit bonus vel malus. Ita esse pro certo supponimus; hoc ipso enim quo est voluntarius, conformis vel difformis rationi, habet totum quod requiritur ut sit bonus vel malus. Insuper de actibus exterioribus sunt octo præcepta Decalogi.

Sed quærimus utrum actus exterior sit bonus vel malus bonitate vel malitia formali distincta a bonitate vel malitia actus interioris, quam ei superaddat<sup>1</sup>. Et est quæstio de actu exteriori ut est mera executio interioris. Si enim actui exteriori esset accidentaliter et ab extrinseco annexa aliqua bonitas, v. g., specialis gratia susceptioni exteriori sacramentorum, aut gratia indulgentiæ eleemosynæ seu orationi exteriori, certum est quod actus exterior hanc bonitatem accidentalem adderet actui interiori. Item, si ad executionem actus exterioris necesse sit actum interiorum intendi vel multiplicari, ut sæpe contingit, etiam constat actum exteriorem addere bonitatem vel malitiam interiori : hoc tamen non per se et ratione sui, sed occasionaliter tantum, quia occasione actus exterioris intenditur aut multiplicatur actus interior.

1. Hic q. 20, a. 4, o.

Dico 1<sup>o</sup> : Actus exterior, ut est præcise executio actus interioris, illi non addit bonitatem aut malitiam simpliciter in ordine ad præmium aut pœnam essentialem, sed tantum secundum quid, in ordine ad præmium vel pœnam accidentalem : unde non reddit operantem meliorem aut pejorem simpliciter, sed secundum quid tantum.

*Prob.* prima pars<sup>1</sup>. Actus exterior vel consideratur ut objectum interioris, vel ut ejus effectus seu executio. Atqui neutro modo addit interiori bonitatem vel malitiam distinctam. Ergo. — Probatur prima pars minoris. Si actus exterior consideretur ut objectum interioris, tota bonitas vel malitia quæ est in illo objective, transfunditur in actum formaliter, ita ut objectum nihil habeat objective quod non sit in actu formaliter. Ergo actus exterior, ut objectum, non habet aliquam bonitatem vel malitiam distinctam, quam superaddat bonitati vel malitiæ actus interioris, cum sit utrimque eadem, cum hac differentia quod sit objective in actu exteriori, ut in objecto et motivo voluntatis, et in actu interiori formaliter, ut in subjecto. — Probatur secunda pars min., de qua est præsertim difficultas. Actus exterior, ut effectus et executio interioris præcise, nullam habet bonitatem vel malitiam moralem intrinsecam, sed est bonus vel malus denominative extrinsece tantum a bonitate vel malitia actus interioris. Ergo non addit interiori ullam bonitatem vel malitiam distinctam. — Probatur ant. 1<sup>o</sup> verbis formalissimis D. Thomæ hic a. 3, ad 3 : « Sicut, inquit, a sano quod est in animali derivatur sanum ad medicinam et urinam...; hoc modo a bonitate voluntatis derivatur bonitas actus exterioris. » Ergo, sicut sanitas est in medicina et urina denominative extrinsece tantum, ita bonitas vel malitia moralis in actu exteriori. Probatur idem ant. 2<sup>o</sup> ratione peremptoria. Libertas est fundamentum moralitatis, ideoque bonitas vel malitia moralis intrinseca ibi solum esse potest, ubi est libertas intrinseca. Atqui in actu exteriori

1. Ibid.

potentiæ executivæ non est libertas intrinseca; hæc enim in sola voluntate intrinsece subicitur. Ergo.

*Confirmatur.* Si actus exterior aliquid addat interiori, vel illud superadditum est volitum ab actu interiori sicut ab exteriori est exercitum, vel non: si non sit volitum, non est bonum aut malum morale, et sic nihil addit bonitatis aut malitiæ; si sit volitum, hoc ipso præhabetur in actu interiori voluntatis, in qua est fundamentum totius moralitatis. Ergo.

*Prob. secunda pars conclusionis*<sup>1</sup>. Actus interior comparatur ad exteriorem tamquam tendentia et motus ad terminum et finem. Atqui omnis tendentia et motus perficitur et consummatur in hoc quod consequatur finem et attingat terminum; unde non est perfecta voluntas, nisi sit talis quæ opportunitate data operetur. Ergo actus exterior addit interiori bonitatem vel malitiam, non simpliciter, seu distinctam a bonitate vel malitia interioris, sed secundum quid, id est eandem extensam et consummatam, seu ejus extensionem et consummationem.

Ex quo sequitur quod faciat agentem meliorem, non simpliciter, sed secundum quid, et quod sit in ordine ad pœnam aut præmium, non essentielle, sed accidentale.

## ARTICULUS VII

*Utrum eventus sequens addat ad bonitatem vel malitiam actus exterioris?*

Dico 1<sup>o</sup>: Eventus sequens prævisus et aliquo modo intentus, addit ad bonitatem et malitiam actus exterioris, sive per se sequatur, sive per accidens<sup>2</sup>.

*Probatur.* Eo melior vel peior est actus, quo melior vel peior est voluntas. Atqui melior vel peior est voluntas ejus qui, prævidens et intendens multa bona vel mala ex

1. Ibid. — 2. Ibid., a. 5, o.

opere suo secutura, illud facit, quam si nihil horum prævideret et intenderet. Ergo.

Dixi: « Aliquo modo intentus; » quia, ut effectus sequens addat ad malitiam, non est necesse quod directe intendatur, sed sufficit quod sit indirecte et interpretative intentus. Tunc autem est indirecte et interpretative intentus, quando sic prævidetur secuturus, ut potuerit et debuerit impediri. Tunc autem est obligatio impediendi et cessandi ab actu ad quem sequitur, quando non subest jus seu legitima ratio illum actum ponendi.

At quid, quando adest vel abest jus seu legitima ratio non ponendi actum, non obstante malo eventu inde secuto? Hoc opus, hic labor est, nec potest una regula assignari. Ad id debet attendi, an eventus sequatur ex illo actu per se vel per accidens et interventu alterius causæ; an actus in eum malum eventum influat graviter vel leviter, remote vel proxime. Item conferendum est malum eventus cum bonitate actus. Major enim ratio requiritur ut legitime ponatur actus ex quo per se sequitur malum, quam si per accidens et interventu alterius causæ sequatur; major, si actus proxime et graviter influat, quam si leviter et remote; major, si utilitas actus non præponderet, aut saltem non æquivalet malo eventus. Quibus omnibus attentis, judicandum est moraliter, utrum sit vel non sit jus et legitima ratio ponendi actum. Pro quo consule quæ dixi de voluntario indirecto seu in causa, art. 1 primæ dissertationis hujus Tract.

Dico 2<sup>o</sup>: Eventus per se sequens ad actum, etiamsi non sit prævisus, nec in se volitus, addit ad bonitatem vel malitiam<sup>1</sup>; quia quod per se sequitur ad actum, quodammodo ad ejus speciem pertinet, et ideo est virtualiter et implicite volitum in ipso actu. Insuper ille actus est melior ex cujus natura nata sunt sequi plura bona, et ille peior est ex cujus natura nata sunt sequi plura mala. Eventus autem per se sequi censetur ex actu, quando

1. Ibid.

semper aut ut plurimum accidit. Hinc scandalum ex publica fornicatione secutum auget ejus malitiam, quamvis fornicator de eo non cogitaverit, quia per se sequitur ex tali actu.

Intellige tamen hanc conclusionem cum hac modificatione, quod ex eodem actu non sequatur per se æque immediate duplex effectus, unus bonus, alter malus, juxta aliud principium S. Doctoris, 2<sup>a</sup> 2<sup>e</sup>, q. 64, a. 7, o, scilicet quod, quando unius actus sunt duo effectus æque immediati, unus possit esse ex intentione, alter præter intentionem nec imputabilis, ut patet in defensione sui contra injustum invasorem, ex qua æque immediate sequitur salus invasi et mors invasoris. De quo dicam amplius *de Jure et Justitia*.

Dico 3<sup>o</sup> : Eventus sequens per accidens ex actu, si non sit aliquo modo intentus, ut dictum est in prima conclusione, non addit ad bonitatem vel malitiam<sup>1</sup> : 1<sup>o</sup> quia non datur judicium de re aliqua secundum id quod est per accidens; 2<sup>o</sup> quia hujusmodi eventus nullo modo, neque in se, neque in causa, est voluntarius. Exemplum habes in muliere quæ ex justa causa procedit in publicum, ex quo prævidet securum lapsum alicujus.

## DISSERTATIO V

## DE CONSCIENTIA

## ARTICULUS I

*Quid et quotuplex sit conscientia?*

Dico 1<sup>o</sup> : Conscientia, quasi cum alio scientia, seu conjunctio et applicatio scientiæ ad aliquid particulare fac-

1. Ibid.

tum<sup>1</sup>, definiiri potest : « Judicium seu dictamen intellectus practici ex principiis communibus dictans aliquid in particulari hic et nunc esse fugiendum ut malum, vel faciendum ut bonum; » seu, ut communiter dicitur, « dictans de bonitate vel malitia eorum quæ hic et nunc a nobis sunt agenda. » Est itaque conscientia conclusio syllogismi practici. Sic, v. g., synderesis dicit : « Malum est fugiendum. » Ratio subsumit : « Atqui adulterium est malum. » Conscientia autem concludit in particulari : « Ergo mihi hic et nunc fugiendum est adulterium. »

Explicatur definitio. Dicitur *judicium seu dictamen*, quia conscientia est actus, non potentia aut habitus; potentia enim deponi non potest, et habitus est difficile mobilis, conscientia autem potest deponi et facile mutatur. Dicitur *judicium seu dictamen intellectus*, quia conscientia pertinet ad intellectum, non ad voluntatem, ut patet ex ipsa nominis etymologia; conscientia enim, ut dixi, est cum alio scientia. Dicitur *judicium intellectus practici*, quia intellectus, sicut dum per scientiam moralem versatur circa conclusiones generales de bonitate vel malitia actionum humanarum, dicitur speculative practicus; sic, dum per conscientiam versatur circa conclusiones particulares de bonitate vel malitia hujus actus hic et nunc ponendi vel fugiendi, dicitur practice practicus.

Dicitur *judicium*, non imperium, quod exprimitur verbis modi imperativi : « Fac hoc; » quia hujusmodi imperium supponit conscientiam, estque illi non raro difforme, ut cum conscientia dictat aliquid esse fugiendum ut malum, et homo, imperante ratione et remordente conscientia, facit.

Dicitur *dictans aliquid in particulari esse faciendum vel fugiendum*<sup>2</sup>; quia, licet conscientia sit etiam de præteritis testificando, approbando, improbando, remordendo, de qua Apost., II Cor., I, 12 : *Gloria nostra hæc est, testimonium*

1. 1<sup>a</sup> p., q. 79, a. 13, o; hic q. 19, a. 5, o; q. 17 *de Veritate*, a. 1, o. — 2. 1<sup>a</sup> p., q. 79, a. 13, o; q. 17 *de Veritate*, a. 1, o.